IOSEPHI GABRIEL. DE GABRIELY

ALSATA-NEOBRISACENSIS,

DISSERTATIO

INAVGVRALIS-MEDICA,

EXHIBENS

FLUXUS ALUINOS,



VIENNAE,


TYPIS JOAN. THOM. NOB. DE TRATTNERN,
SAC, CAES, REG. AVL. TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXXIII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



DE FLUXIBUS ALUINIS.



CAPVT I.

Idea Fluxus Aluini generalis habetur, ſi excrementa aluina excedant quantitate naturale luſtramentum. Synonyma ſunt: Aluus vel Venter profuſus vel lubricus, liqueſcens, humectatus, fuſior, ſolutus etc.

Vſu vero obtinuit in Medicina, vt idem Fluxus, prout vel materiae efluentis quantitas diuturnitasue, vel modus diferret et conditio, diuerſis nominibus inſigniretur. Iam enim excrementorum liquidorum copioſiorem ac ſolito frequentiorem per aluum euacuationem, ſine torminibus ventris ab cauſſa interna excitatam,

adpellamus *Diarrhaeam*; iam Hypercatharſin, ſeu Superpurgationem, ſi in ſimilem deiectionem efieiendam inteſtina diutius continuata purgantis actione iritentur: dolor notabilis et multa tormina, quae ventrem ſimili fluxu laborantis excruciant, mutato nomine *Dyſenteriam* adeſſe manifeſtant: Sanguinis diſſolutio indolens, referens colore loturam ſanguinis, *Hepatirhaeam*, Fluxum hepaticum, inducit, hepate vtplurimum ſimul adfecto: dum prima digeſtionis officina ita labefactata eſt, vt, quidquid ingeratur et quale, illud et tale loco excrementorum dimittat aut inconfectum aut nonniſi ſemielaboratum, illud malum *Lienteria*, hoc *Coeliaca Paſſio* audit: denique *Cholera* venit, duplicem euacuationem, per os et anum, ſimul comitem habens; cuius illa tantum ſpecies proprie locum inter Fluxus Aluinos meretur, quae *humida* dicitur, altera, *ſicca* nempe, ob abſentiam ſolutionis alui nobis neglecta.

Diuerſitas dictorum nominum, ſuis ex definitionibus probe intellecta, licet naturam cuiusuis morbi apte ſatis exprimat: tantum tamen abeſt, vt Medico praxin exercituro ſufficiat: vt potius eum cum empyricorum plebe confundat, niſi adtenta ſimul mente et dificili quandoque iudicio eruere ſciuerit praedominantis morbi cauſſam; eum enim recte curaturum eſſe dicunt noſtrae Artis Principes, quem prima origo cauſſarum non fefellerit. Videamus igitur praecipuum earum catalogum.

CA-

CAPVT II.

De Cauſſis.

Quoties qualecunque liquidum maiore quantitate inteſtinorum cauitate excipitur, niſi in interiorem corporis reſorbeatur oeconomiam: toties viribus periſtalticis, vel iisdem vel etiam auctis, illud expelli per anum neceſſe eſt. Hinc intelligitur triplex inprimis Fluxuum Aluinorum fons et ſcaturigo ita, vt, qui adtenderit ad copiam humorum ibi conligendorum et qualitatem, ad inpedimenta, quae reſorbtioni obponi poſſunt, et denique ad ea, quae viribus periſtalticis adaugendis paria ſunt, omnem facili negotio perſpiciat modum, quo dicta excretio contingit; propius tum veram morbi ideam adſequuturus, ſi vltro perpenderit adcuratius

I. Copiam liquidorum in inteſtinis augeri α) ab ingeſtione aquoſorum nimia; β) a faciliore ſanguinis in aquam diſſolutione, mercurialibus, ſaponaceis etc. inducta; γ) ab euacuationibus aliis imminutis, atque ideo adfluxu in has partes violentiore; δ) a conamine naturae, ſiue expellentis hoſtem quempiam, vt machinam conſeruet ſanam: ſiue vera criſi de materia morbi triumphantis: ſiue etiam eosque deuictae, vt, cui ſub iugum mittendo

haud ſuficeret, dimitteret pro parte quaſi per inſidias huc adlectum, potentius adgreſſura diuiſas copias, quas vnitas non poterat.

Atque ex hac ratione ſuperfluae tantum materiae efectum eiusmodi excretionem eſſe, quiuis intelligit; verum eſt etiam iritationis in his partibus factae. Non minus enim heterogeneum quoddam acre tubo inteſtinali inſidens diluentes humores ex corporis reliqua maſſa adtrahet, quam arenula in oculum lacrimas. Igitur miaſma ſuſceptum, purgantia acria, bilis corruptae aut cibi durioris tantilla copia, calculus etc. idem, quod priores cauſſae, poſſunt.

II. Inpedimenta praecipua, quae abſorbentibus vaſculis obponi poſſunt, partim obſtructioni eorumdem, partim fibrarum inteſtinalium laxitati adſcribenda ſunt. Obſtruit autem glutinoſa quaecunque humorum craſis, cruſta aphtoſa; et inteſtina, calore febrili exſiccata vel ſpaſmo conſtricta, transmittendi nutrimenti virtutem perdunt, quam aeque perdunt relaxata nimis; vt et inde adpareat ratio, cur oleoſa, potus calidi, mellita, ſaccharata atque fructus horaei aluum ſoluant.

III. Pleraeque ex praedictis cauſſis, dum aut molem liquidorum ſimpliciter augendo, aut eorum reſorbtionem ſolum vel ſimul inpediendo agunt, hoc ipſo pariunt hic locorum ſtimulum quemdam ad euacuationem abundantis huius ſaburrae; qui tamen eo ſemper erit vehemen-

mentior, quo illa fuerit acrior et quantitas maior.

Ita anxia caussarum indagatio firma et sola saluberrimae artis hippocraticae basis et fundamentum ab omni aeuo fuit; neque vnquam boni plus praestitere Patres nostri, quam dum hac via hominum incommoda inuestigare coeperant. Verum haec Medicinae pars, vti ceteris nec vtilitate nec necessitate cedit: ita minime suis caret dificultatibus; ex tot enim tantisque causis, quae vnum eumdemque producunt in aegroto corpore morbum, facilius vna ponitur, quae destruere valetudinem potuerit, quam, quae destruxerit reipsa, dici queat. Attamen solers, adcurata longaque praxi exercitata consideratio omnium, quae in machina hominis laesa contingunt, persaepe his in tenebris adfert lucem, quam inuenire alio nisi seueri ratiocinii adminiculo nequaquam humani tenuitas ingenii permisisset. Hinc est, cur ego, tironum vt industriae pro parte mea subcurram, omnia, quae circa praescriptum pensum sciri debent, quaeque ab summis in arte viris relicta obseruataque sunt, ordine quodam conlegerim, vt inde firma diagnosis et prognosis nec non curationis superstructae fundamenta habeantur. Quare sequentium capitum obiectum erit fusior deductio Fluxuum aluinorum diferentiarum, admistorum, efectuum et prognosis. Curatio his reddita facilior vltimam absoluet paginam.

CAPVT III.

De Diferentiis Fluxuum Aluinorum.

Materia huius excretionis in multis difert, et primo quidem Colore

Subfuluo, qui aluo naturalis eſt.

Nigro α) ex Meconio, diu ab infantibus retento; prognoſis non infauſta, dummodo leni alui ductione purgentur inteſtina, aut ſi durius fuerit, iniectione diluente, reſoluente promoueatur exitus. β) A Medicamentis, qualia ſunt Caſſia fiſtula, Polypodium, lapis Lazuli, Vina nigra, roob Sambuci, Iuniperi, Chalybeata et Vitriolata; verum haec per ſe nihil deſignant. γ) Ab Sanguine nigro, qualis non raro aluum tinxiſſe viſus eſt, dum ex praegreſſa narium haemorrhagia ſanguis deglutitus grumoſus contentis ventriculi conmiſtus fuit. Hicce caſus praeter generalia haemorrhagiarum nil denotat; notam vero letalem praefert ille, vbi ex vena portarum per exeſas venas meſeraicas in inteſtina talis deſtillat et per aluum excernitur. Pariter in Coacis malum habetur, vbi corruptus humor foetensque ac ſplendens cum dolore dextrique hypochondrii tumore et colore icterico prodit; hepatis enim exeſa eſſe vaſa et ſanioſa per ductum choledochum depluere indicat; aut ſi ingreſcat aluus cum ſudore frigido, delirio, conuulſio-

uulſione ſummaque omnium debilitate, anxietate et torpore. Ex dictis intelligitur veritas Aphor. 21. Sect. IV. *Excrementa alui nigra, ſanguini atro ſimilia, ſponte euntia, ſiue cum febre ſiue citra febrem, peſſima: et quanto ipſorum colores praui fuerint plures, eo deterius* etc. Haemorrhoides vero vt et menſes retenti, ſi excipiantur hoc fluxu, vtplurimum leuantur. δ) Ab *Atra Bile.* Nigricans deiectio modica, ſine multis torminibus, hypochondriacis et melancholicis rediturae valetudinis: copioſa, cum torminibus, in morbi principio, mortis indicium eſt. Vid. Hippocr. L. de Criſibus. Cum iudicio igitur intelligi voluit Hippocrates Sect, IV. Aph. 25. *Inferne vero niger* (ſanguis) *ſi deiiciatur, bonum.* Nam nullam, quae ſua ſponte mouetur, ſanguinis atri deiectionem in bonis duxerat Aph. 21. 22. 23. eiusdem Sectionis. Et mirum reuera illud, quod dudum *Duretus* aduertit, quod haemorrhoicus ater ſanguis tot commodis beet aegrotum et idem deiectus augeat multis damnis, quamque mouet nigram deiectionem pharmacia conuenienter praeſcripta, ſalutem reducat, vix vnquam a ſpontanea ſperandam.

Albo; hic aluo inducitur α) a Chylo cum faecibus exeunte. Cauſſae Lienteriae atque Coeliacae Paſſionis cognitae, et quid ſit iudicandum et quod malo obponendum ſit remedium, adtendenti demonſtrabunt. β) A bilis defectu, qui duplici modo accidere poteſt;

A 5 vel

vel enim non fecernitur vlla penitus bilis: vel fecretae exitus in debitum munus perficiundum praecluditur. Primum debetur vitio fanguinis ad fecretionem inepti, proindeque Cacochymiae, a qua propria fpecies icteri dependet, fuis cognofcenda fignis: alterum fpafmis, obftructionibus, inflammationibus aliisque malis localibus vel in hepate vel in ductu choledocho vel in vicinia harum partium contingentibus. γ) A Pure faecibus commifto. Praegreffa longa dyfenteria, quae excoriat, vulnerat, inflammat internam fiftulae inteftinalis tunicam, et poft diros ac perftantes ventris dolores pus aliquando nafcitur, vnde aluus excernitur purulenta; et quidem recto infidere vlcus patebit, fi pus excrementa praecedat: fi fubfequitur, altiore loco. Ex dolore locali adfecta pars defignabitur, et curatio abftergentibus, antifepticis, confolidantibus cum diaeta adpropriata perficietur. Per metaftafin non raro pus ad inteftina ducitur; fubinde febris ardens in fubpurationem conuerfa leuatur pure per anum expulfo; adtendendum tamen, quod ex admiftione biliofornm praefagium faciendum fit periculofum. Ex abfceffu qualicunque purulenta fedes, fiquidem infra diaphragma haereat, melius, quam fi fupra, aut plane ab extremitate partium regurgitans, aluum foluat. δ) A Pituita; haec faecibus admifta dificulter a pure diftinguitur; color tamen magis pallidus huius indicium

prae-

praebet. Pituita haec alia eſt 1. *Adſumtorum*, cui generandae fauent tenacia, glutinoſa, farinoſa, inprimis ſi viſcera ſimul laxitate et bilis peccet inertia; diagnoſis facilis et cura ex poſitis indicantibus deſumitur: 2. *Noſtrorum Humorum*, quam debilis ſolidorum compages hincque nata fluidorum inertia inducunt: 3. *Morborum Acutorum;* materies morbi phlogiſtica, qui nonnunquam caſus Ardentis eſt, ex defectu virium nec apte adtenuatur ſatis nec in pus conuertitur, vnde tum, quae alba fit aluus, fauſti adhuc ominis; virium lapſus indicat cardiaca grata, lenia ſtimulantia: 4. *Muci Inteſtinorum;* dyſententeria vel acris ichoris ſtillicidium continuum abradere mucum inteſtinorum ſolent, qui excretus ſpeciem membranae vel portionis inteſtini refert; reſtitutio muci et correctio ſaniei transſudantis et loci laeſi conſolidatio medentur. ε) Ab Adipe albus alba reddita Tulpio bis viſa fuit.

Rubro, qui ab ſanguine habetur. In acutis inflammatoriis aluus nonnunquam cruentatur α) circa Criſin, bono omine, vt et in inflammatione Abdominis atque Capitis: β) in *Acutis malignis*, *eryſipelatoſis* ſanguinem aluo prorumpere malum Hipocrates pronunciauit, vti et γ) in *omni Humorum corruptione*; id enim tum non cum corrupti correctione, adeoque ſine leuamine, contingit, quin potius indicat, maiorem iam hinc inde fieri vaſorum eruſionem aut deſperatam totius maſſae diſſolutionem; tales mali

omi-

ominis caſus ſunt Quartana, Scorbutus, Cacochymia omnis et purulentia: δ) a *ſimplici Vaſorum ruptura* periculum eo vrgentius, quo vas ruptum eſt maius, aut ſi ſanguis continenter depluit per hepatis iam exeſa vaſa: ε) ab *Sanguine deglutito*, de quo caſu ſupra ex narium haemorrhagia dictum fuit: ζ) ab *Haemorrhoidibus*, de quibus ſpeciatim tractari quum ſoleat, earum theoria conſulenda.

Flauo vel bilioſo: 1. Flava aluus *boni* ominis eſſe ſolet α) poſt nauſeam, cibi faſtidium, anxietatem praecordiorum et vrinam flavam emiſſam; β) in leui delirio, inquietudine, vigiliis, colore faciei ſubflauo, ſurditate. Vid. Hippocr. Aphor. 28. et 60. Sect. IV. et Coac. titulo Deiectionum: γ) in pleuriticis, ſi vel ſponte vel purgante ex toto corpore vel primis viis corrupta bilis educatur. 2. *Mala* vero eſt, ſi, vt ſignum corruptae bilis abundantis, nullum ab euacuatione leuamen adferat; quae ſaburra ſi cerebrum petit, in ingens aegrum diſcrimen praecipitat. 3. Ab Adſumtis quae talis redditur, vt Caſſia, Rhabarbaro, Aloe, Manna &c. nec mali quid nec boni praeſagit.

Secunda diferentia petitur ex ODORE.

Volatile quoddam principium, inmiſtum noſtris humoribus, odorem faetidum, proprium et ſingularem, faecibus largitur. Fœtor igitur naturalis eſt; ſunt tamen et in hoc diferentiae, quae Medicum latere non debent.

Foe-

Fœtur α) ab Adſumtis, quorum odor actione corporis mutari nequit; allium, caepae &c. huc pertinent: β) ab Retentione longiore penetrantior, in aluo diu obſtructa obſeruandus; praeter hanc et eius cauſſas aut ſequelas nihil mali latentis deſignatur: γ) ab Liquoribus in corruptionem abeuntibus et ad inteſtina adpulſis, ſignum putrefactionis.

Odor nullus, dum ingeſta vel cito nimis canalem tranſeuntia expelluntur, vt in Lienteria; vel corpus eſt nimis debile, vt in Infirmis; vel humores principiumque illud foetidum in inteſtinis, quibus id naturale eſt, retinetur; vnde ſemper malus, infantum ſi excrementa, naturaliter inodera, excipiantur.

Tertia differentia deſumitur ex CONSISTENTIA.

Mollis, conpacta, conſigurata, intime miſta naturalis eſt aluus; liquidior autem aut durior praeter naturalis haberi ſolet; de liquida dicetur.

Liquidior, aquoſa, cum aequali ingeſtionis quantitate et ſine purgante adſumto, contingit α) Abſorbtione languente vel deficiente (Vid. C. II. N. 2.); caro, lethargo ventrisque tumore laborantibus ſaepe mittitur, peſſimo praeſagio: β) in *Humorum Colliquatione*, tumque ita dicta Aluus Colliquatiua adeſt; nempe vbi poſt morbos diuturnos, et inprimis poſt ſubpurationem viſcerum aut longum hydropem in liquamen ſoluti humores per aluum copioſi ruunt, frequens phtyſicis, conſumtis, hydropicis, et

mor-

mortis aduentantis prodromus; in acutis morbis diuturnitatem praesagit: γ) in Abundantia Aquae; in principio hydropis, si venter simul detumescat, siquidem euacuatio aquosae colluuiei hic semper est salutaris, bona iuxta illud Hippocratis: *In aqua intercute detentis si aquosus humor per venas in aluum aut vesicam efluat, solutio contingit.* Vid. L. de Crisibus: δ) ab Acri ad intestina delato cui tormina ventris ac dolor perpetui comites iunguntur, abitura, quamprimum illud fuerit expulsum.

Durior; huc illa inprimis pertinet, quae Caprina dicitur, a cellulis intestinorum, iusto magis arctatorum, hunc in modum configurata, mali adeo ominis in Colica Pictonum. β) Dein quae *Hydropem confirmatum* concomitatur, tanquam signum aquosi seri alibi adcumulati et summae solidorum siccitatis; mala est in hydrope non minus ac in tympanitide. γ) In *Acutis densitatis humorum atque exsiccationis indicium*, adeoque febris multum adauctae. Suspecta igitur et liquidior et durior; sed liquida quae erat, condensari, aut quae durior, mollescere in speciem pultis debet, vt bona speranda sit crisis. δ) In Vesicae inflammatione mala, nisi succedat vrina multa, purulenta cum albo et laeui sedimine. Ceterum si animum ad ea, quae ab retentione mali et ab conpressione duri huius heterogenei fieri possunt, adplicemus, efectus pessimi a duritie alui dependentes absque dificultate patebunt.

Quar-

Quartam diferentiam exhibet QUANTITAS.

Naturalis aluus circiter quatuor aut ſex vnciarum quotidie ponitur. Quantitas *maior* conſtituit alui Fluxum, diſſertationis noſtrae materiem: *minor* adſtricta dicitur, eſtque cum vel ſine teneſmo. Haec, quamuis a penſo noſtro aliena videatur eſſe ac reipſa ſit: operae tamen pretium exiſtimamus, eius cauſſas breuibus perſtringere efectusque praecipuos ſubnectere.

Adſtrictam igitur aluum reddunt α) Defectus materiae in ieiunio, fame: β) Reſorbtio maior; tales caſus ſubpeditant morbi inflammatorii, febres acutae, variolae; aluus laxanda diluentibus, reſoluentibus, emollientibus, niſi fiat ob criſin: γ) Motus minor; laxi, debiles, frigidi, leucophlegmatici, hydropici ab hac cauſſa laborant; purgantia acriora, ſtimulantia his proſunt, vt exoneretur bis terue; vltimo robur inteſtinis addendum: δ) Muci abſentia in ſubiectis hyſtericis, hypochondriacis; lubricantia, anodyno, neruina indicantur: ε) Conpreſſio tumorum adiacentium vel externorum in grauidis, herniofis, vulneribus ventris, calculo, inflammatione, tumore veſicae vel perinaei; cauſſa conprimens auferenda: ζ) Contractio inteſtinorum ſpaſmodica, inflammatoria, ſcirrhoſa vel nata ex conpreſſione externa diuturna: η) Obſtipatio ab excrementis durioribus et conpactis; diluentia

clyſma-

clyſmata, reſoluentia et lubricantia vel etiam purgantia, laxantia excretionem promouent.

Efectus ab aluo adſtricta diuturna timendi ſunt: dilatatio inteſtinorum, vnde dolor et vicinorum conpreſſio, putrilago retentorum, quae vaſis recepta abſorbentibus in totam redundat maſſam; peſſimorum hinc morborum, praecipue capitis, intellectus habetur.

CAPUT IV.

De Admiſtis.

Capite hoc recenſendae veniunt diuerſae admiſtiones, quae in faecibus aluinis non ita raro inueniuntur. Hinc aluus.

I. *Meraca*, quae ex mera conmiſtione cuiusdam heterogenei nomen adquiſivit, ſemper damnata Hippocrati, aut exacerbationem aut protractionem morbi aut deſipientiam deſignans. Tales ſunt: bilioſa, pituitoſa, chyloſa, ſanguinea, de quibus videatur Cap. III. Verum *Pinquis* ſequentia notatu digna ofert: Deiectiones pingues in genere malas eſſe: nam ſive a pinguibus ingeſtis, ſive a pinguedine fuſa et ad primas vias detruſa ortam conſideres, ſive ſpumoſam: nunquam erit, quod laudes; in *primo* ſaponacei principii defectus, adeoque virium non ſatis ſubigentium debilitas, arguetur: in *ſecundo*, ob inpetum humorum per vaſa meſeraica

raica ruentium, conliquatio: *ſpumoſa*, reiecta omnibus: in acutis, in febribus conliquativis et bilioſis, in acrimoniis et inteſtinorum pituita, in dyſenteriis; neque id ſine ratione; nihil enim motus inteſtinorum perturbatus et vehemens, quo fortiter miſcetur aer humoribus reliquis, atque materiae bilioſae, pinguis, chyloſae, agitatione in ſpumam cogendae, praeſentia boni, quod praevideas, quid habent.

II. *Varia*, priori obpoſita, ſaepe non melior, nihilominus multum diſtincta eſt aluus, quam diuerſa non bene miſta, faecibus tamen inhaerentia, conſtituunt; nempe: α) *Membranae*; humores noſtri ſubinde ita concreſcunt, vt membranae formam induant; pituitae praeterea tenacis et aphtarum deciduarum ſequela ſunt. Clyſmata abſtergentia, leniter euacuantia utiliter adhibentur. β) *Grumi*, de quibus V. Cap. III. γ) *Carunculae*, quae pari modo a muco concreto vel pure vel glandulis inteſtinorum induratis et emiſſis originem trahunt. In dyſenteria carunculas emitti letale Hippocrati fuit. δ) *Calculi*, vel nati ex materia concreta in cryptis inteſtinorum multa terra impraegnata, vel in ventriculo et inteſtinis, quod nonnullis animantibus ſolemne, in homine rarius contingit; vel dum calculus veſicae felleae per ductum choledochum emiſſus eiicitur. ε) *Inſecta*: anguillulae, lacertae, ſcarabaei, vermes adſumti cum ingeſtis aut ex deglutitis eorum ſeminibus excluſi, frequentes pueris pituitoſisque; ce-

terum ad iudicationem quandoque non parum faciunt.

CAPUT V.

Effectus Fluxuum Aluinorum.

Sequelae a continuata poſt expulſos ſuperfluos et noxios humores alui excretione multiplicem conſtituunt ſeriem morborum;

I. *Inmediate in inteſtinis*; α) dum ex adaucto motu periſtaltico continua remanet conſuetudo aluum deponendi, vel plane ſequitur Lienteria: β) dum excoriantur, vt a deraſo muco dolor, ventris tormina, teneſmus, ani procidentia, inflammatio, exulceratio, ſphacelus, dyſenteria ſequantur.

II. In *tota Humorum maſſa*: α) ex defectu boni ſucci violente detracti detrahitur corpori naturale nutrimentum, ceteris euacuationibus imminutis; vnde corpus bonis priuatum, malis tamen ſaepe humoribus infarctum atrophia macies, hippocratica facies defigurant; vaſa minus diſtenta conſeruando calori naturali minus apta euadunt, ſubſequitur horror, rigor, oris, ſiccuitas, difficultas deglutitionis, et vrina parcior magisque colorata meiitur; grauidae abortus, puerperae lochiorum et lactis iacturae periculum incurrunt: β) ex Abundantia Lymphae: immoderata alui deiectione dum boni exhauriuntur

untur humores, difficulter aut noui inquilinorum naturam induere poſſunt aut reſidui conſeruare; vnde tandem fit, vt facilius deliquescentes, minus preſſi in laxatis ſolidis ſubſiſtant; naſcitur inde hydrops, leucophlematia, tumor oedematoſus, purgantibus male curandus: γ) ex Corruptione, quae fit, dum deficiente ſucco inquilino, ſano ingeſta, quae in noſtram naturam verti nequeunt, vel in viſcidum vel in putrilaginem degenerant; ſic communicatur maſſae Cacochymia qualiscunque, ſuperueniunt fœtor, nauſea, hectica febris, phthyſis, puſtulae, ſcabies, exulceratio pulmonum, vel ex acrimonia dolores variarum partium, ſubinde cum calore, nonnunquam cum frigore.

III. In *Solidis*: α) Enervatio, flacciditas, languens in fluida actio; β) Motus inordinatus, a quo ſuffocationes et inteſtinorum conuulſiones, murmura, inflationes, nauſea, ſingultus, tremor, cordis palpitatio, et quae alia ab inanitione vaſorum &c. γ) Conſenſus partium cohaerentium aut etiam diſſitarum; difficilis deglutitio, linguae inflammatio, angina, dyſponea, ſingultus, vomitus &c. inde frequentes.

IV. In *Spiritibus Neruorum* quantitate imminutis; metuenda ab his malorum ſtrages! debilitas videlicet, ſudor conliquatiuus, aucta periculi gravitate deliquium animi, abſentia doloris, adypſia, ſurditas, ſopor, maeror, ira, delirium atque tandem, miſeris exoptata illa omnium aerumnarum meta, mors.

CAPUT VI.

Prognosis.

Haec vt ex arte describatur, requirit regularum notitiam adaequatam, quae Aluinum Fluxum permittendum, cohibendum, promouendum excitandumue docent. Quamobrem in considerationem ducendus primum status *Sanitatis*, in quo quidem, praeterquam quod multis certo tempore sit consuetus, obcurrunt sequeutia:

Aetas: α) Infantibus frequens diarrhaea et cholera tempore dentitionis, iis praecipue (Vid. Aphor. Hippocr. 25. Sect. III), qui habitu corporis crassiusculo sunt, atque caninis dentibus prorumpentibus; fertur cum leuamine symptomatum, conuulsionum scilicet; hinc praesens conservanda, ni adsit, prouocanda, nimia moderanda. β) Puerilis aetas, infarcto ventre plerumque laborans, lienteria saepe corripi solet, superanda resoluentibus et relaxantibus. γ) Iuuenes virique facile ferunt aluum liquidam et purgantur; hinc iis quoque diarrhaea, teste Hippocrate, frequentior δ) difficulter vero senes ob vires aliunde debilitatas.

Tempus Anni: α) Ver ob calorem non admodum magnum et largiorem ceteroquin perspirationem diarrhaeae minus est ferax: β) Aestas, calore suo humorum putredinem promovens,

movens, praegreſſo inprimis vere pluuio, perſpirationem ſuffiaminante, cholerae ac dyſenteriae admodum fauet; vere tamen ſicco praegreſſo cholerae potius ſiccae obſeruantur; eodem modo γ) Autumnus, vegetabilium diues opum, ob calorem, humiditatem, qua Sanctorii perſpiratio inhibetur, vel ob corruptelam, quam corpori infert.

Status: α) Grauidae alui profluuio laborantes, quo fœtui detrahitur neceſſarium nutrimentum & conamina haec ad inferna diriguntur, in abortus periculo verſantur. β) Puerperae, ex partu praegreſſo et lochiali fluxu nimium debilitatae, ſolutam aluum difficulter ferunt; lochiis autem ſubſiſtentibus, nec hanc nec purgans, purgamentis vterinis hoc modo impeditis, niſi illam vicario munere quidquam boni praeſtare velis. γ) Balbis iuxta Hippocratem frequens eſt profluuium aluinum, fortaſſis ob ſaliuam deglutitam.

Status MORBOSUS plura adtentione digna ofert, quorum praecipua nobis delibanda, vt pateſcat, an ſpontaneus, an artificialis alui fluxus conducat; et quidem

Ratione *Liquidorum*: α) ab Aere in inteſtinis occluſo, ea in inordinatum motum cogente, vt adparet in ructu, flatu; ſaepe reliqui humores alliciuntur et allecti expelluntur, quod iam Hippocrates memoriae reliquit. An ergo ructus &c. directe purgans exigunt? Hyſtericarum ſane, melancholicorum ac tympanitico-

rum exempla contrarium euincunt. β) A Cruditate ſuccorum in cacochylia, feliciter praeſcripto euacuante tollenda, quod in cacochymia aut cachexia non accidit; niſi illud ea ratione ſalutare dixeris, quod aliqua peccantis materiei quantitas ſubducatur, omnibus dein artis auxiliis in correctionem morboſi et nutritionem meliorem perficiendam adplicatis. γ) A Lympha: in hydrope et oedemate fluxiones alui, tumorem inminuentes corporis et robur augentes, bonae; quae vero fiunt ex obſtructione pertinaci glandularum meſeraicarum, colliquatione humorum et vaſorum atonia, praeſens diſcrimen deſignant. δ) A Pituita: dum viribus auctis viſcidum ſoluitur et expellitur, ſalutare; verum aluo fluente illud non minui, ac vltro vires deiici, malum. Reſolutione igitur prius tentata, purgantia, dein roborantia et ſtomachica cum diaeta congrua malo feliciter medebuntur. ε) A Bile: congeſta bilis in primis viis aut in veſicula fellea aut in ductu choledocho educenda ſemper, productura alias dyſenteriam peſſimam aliaue mala. Attamen hepate morboſo laborantibus purgantia ſaepius nocent, quin ipſa ſpontanea deiectio, exeſis ſcilicet iam vaſis et colliquato iecinore. Ab atra bile turgente et per inteſtina ruente qui per aluum fit fluxus, ſaepiſſime incurabilis eſt. ζ) In Acrimonia acida idem perſeverans et copiam denotat crudorum et viſcerum debilitatem; iuuamen ab antacidis,

ro-

roborantibus. η) In Putrida: foetida, ſplendentia, meraca ano exire in acutorum fine letale; purgans tum datum peſſimam hypercatharſin inducit. ϑ) Catarrhus, praeſertim a retentione inſenſibilis perſpirationis, primum videtur a purgante leuari, tum exaſperatur. ι) Non minus damnantur purgantia in ſcorbuto frigido; magis enim debilitant, neque corrigunt nec expellunt vitioſum, ſuis ſpecificis domandum. κ) In ſubpuratis modicam adeſſe alui fluxionem ſalutare; interimit vero liquida vel purulenta, niſi ex abſceſſu ſit primarum viarum aut conliquata nondum penitus maſſa, in quo caſu pus ſalutarem hanc ſibi viam inueniſſe conſtat. Parotide vel empyemate laboranti purgans medicamen peſſime praeſcriberetur, vti & iis, quibus purulenta ſpuuntur; ſubprimitur enim materiae nocentis eliminatio. λ) Tabidis eodem modo et ob eandem rationem peſſima eadem excretio, deſignans colliquationem et virium ſummam inducens debilitatem.

Circa Euacuationes alias in vniuerſum obſeruandum maxime, num alia euacuatio ab aluo fluente ſit inminuta aut plane ſubpreſſa; tum an augeatur vel ſimilis permaneat naturali. In ſpecie:

I. *Sanguinis*: α) Haemorrhagia narium copioſior per ſectionem venae ſubpreſſa purgationem expoſcit; β) Alui ductio ſanguinis quemcunque efluxum, quatenus infringere in-

petum valet, eumdem minuere aut ſiſtere poteſt. γ) Nocet vero ſponte oborta in illis haemorrhagiis, quas acrimoniae et conliquationes inducunt. δ) In haemoptoicis reſeratio alui mala; in haemorrhoidibus bona, omiſſis tamen aloeticis. ε) Menſes rite fluentes purgante turbari non debent, ſuppreſſi quandoque reuocari. Idem ferme in lochiis verum eſt, niſi quod ſubpreſſa minus ferant purgans; nam diarrhaea puerperis infeſta eſſe ſolet.

II. *Vrinae:* α) Si non procedat vrina, et multa in primis viis cruditas adſit, facilius ducitur purgante quam diuretico. β) An diabetes curandus ſit purgante, non caret dubio. γ) Quibus noctu copioſa contingit mictio, his modica egeſtio alui ſignificatur. Vid. Aphor. Hippocr. 83. Sect. IV.

III. *Sudoris:* α) hic cum alui fluxu ſemper malus. β) Minuitur quoque et retardatur inſenſibilis perſpiratio ab eodem ac purgante; cauendum igitur in rite perſpirantibus aut ſudore critico, ne aluus ducatur, opus naturae perturbatura.

IV. *Saliuationis:* Ptyalismus purgante et deiectione aluina ſiſtitur, ſed malignus humor hoc modo retentus et medicamentum tormina excitant.

V. *Sputi* ſubpreſſio pariter cum aegri damno iisdem ſiſtitur.

Solida, vel in nexu vel in motu conſiderata, haecce notanda ſuppeditant:

I. *Ne-*

I. *Nexu:* α) In vulneribus raro aluus ducenda; neceſſitatem etiam ſecandae venae ac vicem haemorrhagia, vulnerum comes, plerumque ſubplet; hinc etiam illam, cui ad inminuendum impetum humorum conferret alui ductio. Phlebotorne enim et purgantia nimis tum debilitato corpore curationi obeſſent. β) In Contuſionibus et Combuſtione vero antiphlogiſticis aluum fluentem reddere proderit; γ) proderit quoque in rigiditate, non vero in laxitate.

II. In *Motu maiore* duplici modo optatum finem conſequuntur hae euacuationes: deriuante nempe et caloris vim temperante. In acutis tamen α) lienteria mala; β) diarrhaea poſt anxietatem et rigorem bona, ſi leuamen adferat; γ) ardentes in ſenibus ſaepe iudicantur fluore alui; δ) dyſenteriae cum febri, vel cum variis alui egeſtionibus, vel hepate obſtructo vel praecordiis, et quae multum doloroſae ſunt et cibos intercipiunt aut ſitim faciunt, Hippocrati malae. ε) Aluus pura ſuperueniens febrim acutam ſoluit cum ſudore. ζ) Ad eiusmodi egeſtiones inſuper ſudantibus febris exacerbatur; ab iisdem perfrigeratio cum ſudore mala. η) In acutis putridis et malignis aluus fluida ſaepiſſime mala. ϑ) Pleuritides et Peripneumoniae alui fluxu exaſperantur et purgante; metaſtaſis enim contingens mala ſemper.

III. In *motu minore:* α) Viribus ex abundantia humorum ſubpreſſis fluxus aluini et pur-

gantia egregia; β) verum nocent in eorumdem et ſpirituum defectu vel laxitate ſolidorum. γ) Purgans ſtimulo et vi reſoluente leuamen certo adfert, dum viſcida fluida languorem circulationis eficiunt.

IV. In *Motu inordinato*: α) Conuulſionem ex conſenſu modica ſolutio alui vel mitigare vel praeuenire poteſt. β) Conuulſiones dentientium aluina ſubductione minuuntur; Sydenham tamen choleram in dentitione purgantibus exaſperatam vidit. γ) Obſtructione viſcerum laborantes purgante dato conuelluntur quandoque. δ) Conuulſio a cerebri conpreſſione ſopitur purgante et alui fluxu. ε) Hyſtericarum ſymptomata ab iisdem excitantur; nihilominus tamen laxa aluus ſeruanda lenioribus ſimulque virtute neruorum ſedante turbas praeditis. ζ) Singultus ab acrimonia inteſtinorum conpeſcitur purgante anodyno.

Febris α) quaelibet indiſcriminatim curari alui fluxu et purgante nequit; cauſſa enim non tollitur; a commotione autem corporis et eductione boni ſucci aeger peius habere poteſt. β) In acutorum principio aut etiam progreſſu, vbi haud ſedandi vomitus, nauſeae, ſiue dyſenteriae pertinaces, ſiue vterque ſimul iunctus adfectus eſſet, feliciter Magnificus Profeſſor de Haen (Vid. Rat. Med. Tom. II. Cap. 1.) purgantia aut emetica adhibuit, mox dato ſub finem paregorico, ſicque tumultus a materia putrida, his ſignis conſpicua et tur-

turgente, excitatos optime conpefcuit. Ceterum haecce in fine morbi data inducias pacifcuntur fallaces et nouam quantocius febrem incenfuras. Fluor vero aluinus nunquam fiftendus, fiue criticus fit fiue etiam fymptomaticus, qui vltimus cafus nil habet, cur metuatur, quum fit nonnifi expurgatio materiae morbificae per fyftema meferaicum vtiliffima; ad fummum regulae artis verae debilitantis moderamen fuadent. γ) Intermittentes, repetito alui fluore decurrentes, fi faburrae figna adfint, expofcunt euacuationem; fi non, in diuturnitatem abeunt aut in hydropem; a purgantibus autem in fine praefcriptis recidiuae peioris periculum.

Ratione PARTIUM:

I. *Capitis:* α) Cerebri compreffio quaeuis, apoplexia, coma, carus, lethargus, cephalalgia, concuffio cranii, humor acer haerens in cranio, impetus circulationis ad caput maior mitigantur alui fluxu vel purgante; β) item morbi oculorum plurimi; γ) oris raro; fic aphtis non conducit nifi in fine, crufta iam feparata. δ) Surditatem in acutis fuperuenientes alui deiectiones biliofae tollunt, fubfiftentes iterum faepe reuocant.

II. Pectoris: α) In dyfpnoea, afthmate, pleuritide, tuffi, dolore pectoris nec alui fluor nec purgans conuenit, nifi fiant hi morbi ex cacochylia; in pleuritide tamen et peripneumonia aluus biliofa, pultiformis, leuans poteft effe critica et leuans. β) Anginofis et in bronchecele conueniunt.

III.

III. *Abdominis*: α) Ventriculi: in anxietate, cardialgia conducunt alui fluxus vel purgantia, si caussa sit cacochylia, secus raro. In visciditate, cruditate, adpetitu vario, in morbis laterum et partium adiacentium consensu iudicio practico opus. β) Hepatis, lienis, omenti adfectiones ob viam facilem, qua malignis humoribus exitus datur, saepe tolluntur. γ) Intestinorum: 1. adfectio coeliaca et lienteria, vbi dependent ab acrimonia vel superflua ingestorum mole, qua sensilitas intestinorum nimis iritatur, exigunt vtique horum euacuationem; 2. colicae illae species, quae sunt cum materie, deiectioni aluinae potissimum obediunt; in colica autem Pictonum purgantia non satis tuto praescribuntur (Vid. Dissert. Magnif. de Haen de colica Pictonum A. 1745. Hagae Comitum editam et Rat. Med. Tom. III. Cap. 2. item Tom. X. Cap. 1.). 3. In adfectione iliaca ab aluo reserata praesagium felix, item in enteritide a dysenteria subcruenta. 4. Choleram recentem diluentia et inuoluentia egregie mitigant, vtpote quibus et aluo conseruatur fluxilitas et hostis expellitur, sed quae a dentitione aut crapula infantes adoriebatur, curationem per largam liquorum potationem aut cathartica Sydenhamo tentatam non admisit (Vid. Sydenham Processl. integr. de Cholera morbo). 5. Haemorrhoides caecae plethoricorum et atrabiliariorum et quae a duritie faecum protruduntur,

tur, ab aluo aperta et eccoproticis leuamen percipiunt. 6. Diarrhaea febrium ſymptomatica aliquando leniori obaudit purganti, ceterum non raro morbus per ſe eſt, dentientibus, morbis capitis, oculorum, aurium etc. perquam ſalutaris.

IV. Syſtema vropoeticum ob viam minus patentem raro ſubductione aluina indiget; nephriticos tamen aluus blande laxa iuuat.

V. Generationis organa ſuis adfecta morbis eamdem perſaepe expoſcunt et leuantur. Gonorrhaeae exempla id confirmant.

VI. Quae autem extrema corporis integumenta obſidere mala conſueuerunt, vt puſtulae, variolae, pruritus, ſcabies, ſcaturigine morbi primis viis inhaerente, tentantur ſolutione aluina, ſecus non adeo tuta ob malam, quae timenda eſſet, metaſtaſim.

Ratione MENTIS: α) delirium, ab inflammatione meningum, motu ad caput aucto et mala metaſtaſi ad cerebrum depoſita ortum, requirit alui fluorem, dummodo hac methodo reuocetur impetus aut detrahatur morboſus ab encephalo humor. Hinc damnandae in phraeniticis albae per aluum fluxiones. In virium debilitate ſenſuumque, in deſipientia male conuenit alui fluxor vel purgans. β) Sopor quandoque eumdem cum euphoria fert, quandoque non; circa quam rem obſeruationes ſequentes notandae: ſoporoſis liquidas alui deiectiones peſſimas, et quibus ſopor fit, ſpumoſis ano

pro-

prodeuntibus, his exacerbari febrim acutam, adeoque deiectiones mali moris, pessimi ominis.

De hoc fluore ab caussis externis excitato sequentia nota: α) Contagium materiae per aera dispersae susceptaeque directiore via diaphoresi, quam hac, expellitur; contrarium ferme habet virus per attactum coinquinans, vt materia luis venereae. β) Medicamenta: purgantium limitata et mediocris dosis hypercatharsin saepe mouet phthysicis, visceribus corruptis, in diarrhaea, cholera, atra bile turgente, aut quorum humores putredinis noxam contraxere. Mobilibus ex minima dosi saepe torminosa aluus. Ab helleboro conuulsio Hippocrati letalis dicta. Hypercatharsi conuulsio aut singultus superueniens malus, senibus vero exitialis.

CAPUT ULTIMUM.

De Curatione.

Curatio dictorum Fluxuum generalis hisce ferme tota absoluitur; vt primo vires expellentes adauctae et iritatae reprimantur et sedentur; vt secundo, quae retinentium aut laesa aut sublata potestas est, quocunque id aptissimo fieri modo possit, reparetur.

Ergo I. Peristaltica vis adaucta decrescet et sedabitur, si α) adiuuabimus naturam, vitiosa

tiofa eiicere conantem, diluente potu, oleofo, blando, refrigerante, qualem fuppeditat aqua pulli, ferum lactis, infufum maluae, decoctum oryzae, hifque tamdiu continuatis, donec a materie noxia fufficienter expulfa nullum deinceps viribus vitalibus imminere periculum patefcat. β) Si vltro cauffam nocentem e ventriculo, per vomitoria ex inteftinis per catharctica lenia educamus; accidit enim aliquando, vt deiectio aluina vi materiae morbificae proritetur tantum, fruftraque adlaborare videatur natura, vt, quod acredine vellicat, eliminet. Accedit, quod minus defatigentur aegri per deiectionem copiofam a catharctico per aliquot horas excitatam, quam per repetitam quauis hora noctu et interdiu, paucam licet, deiectionem. γ) Multum quoque boni praeftabunt non folum diluentia et laxantia potu adfumta, fed etiam clyfmata emollientia. Acre his obtunditur, diluitur, viae fimul lubricantur; hocque modo phlogofis, tenfio, fpafmi infigniter fedati commodiorem reddent euacuationem. δ) Sed quia conatus immodici, affidui; dolores et tormina, noctu etiam difcruciantia, plurimum aegri vires exhauriunt; ob hanc rationem eae nocte quavis faltem fuftinendae opio. ε) Denique a diuturnitate morbi remanens fphincterum et valvularum laxitas, expulfa nempe fatis, quae morbum initio fouebat, faburra, feliciter cedit ftomachicis et adftringentibus; fic data tempore profunt, et data non apto tempore quaeque nocent.

II. Vi-

II. Vires retentrices si laesae sint, elasticitas solidorum multum imminuta, roburque vitale deficiat: tum in auxilium vocanda, quae roborant, leniter serum vitiosum euacuant, nec tamen vires infringunt, sed amice restaurant potius, quales indicationes obcurrunt in diarrhaea serosa. Rheum, Myrobalani, Terra Catechu; Cinnamomum, Nux moschata tosta etc. cum Diascordio, Pillulis de Cynoglosso hic egregia, prout vel eliminare adhuc vel robur flaccidis fibris adesse aut omnino conpescere fluxum e re fuerit.

Atque haec in genere de cura pharmaceutica suficiant; auxilia diaetetica et gymnastica non minoris sunt vtilitatis: 1. Quies corporis et animi caute concilianda, et si motus tamen sit concedendus aliquis, quam lenissime is instituatur, oportet, habita semper adcurata adtentione virium et dolorum concomitantium. 2. Frigus arcendum sancte; hinc pedes maxime ab eodem et humiditate praemuniantur pannis laneis siccis, calidis. Cutis enim laxitas, vt ait Hippocrates, alui siccitatem inducit, et cutis siccitas aluum laxat. 3. In diaeta euitetur cibus copiosior et digestu dificilior; sed vinosa, spirituosa vt et succi fructuum saponacei, acescentes et herbarum oleracearum, aut roborantia, quando sint suadenda, hoc facile ex cognita morbi caussa dici poterit.

